



PRIVILEGIUM SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.



LEOPOLDUS Divina favente clementiâ electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium, quod, cum Nobis Nostri & Sacri Romani

Imperii fideles dilecti Hæredes FRIDERICI LANCKISCH demissè exposuerint, se Magistri FRIDERICI LANCKISCH Lipsiensis opus Concordantiarum Biblicarum Germanico-Hebraico-Græcarum novâ, & compendiosâ methodo conscriptum, post Privilegii vigesimâ primâ Januarii A. millesimo, sexcentesimo septuagesimo 8^{mo}. à Nobis ad viginti Annos concessi lapsum, rursus edere constituisse, vereri autem, ne ab aliis lucrum inique captantibus, editionemque hanc pravo more imitaturis fraus sibi fiat, ideoque supplicaverint, ut novo Privilegiò nostro Typographico sese indemnes servare dignaremur; Nos ejusmodi precibus æquitate nixis benigne censuerimus annuendum, prout per præsentis annuumus, proinde omnibus & singulis Bibliopolis, Typographis, & Bibliopegis, aliisque rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò & severè inhibemus, ac vetamus, ne quis prædictum Concordantiarum Biblicarum Opus, quod memorati hæredes FRIDERICI LANCKISCH suâ curâ, & dapilibus impensis Literatorum usui impressum denuo exponunt, intra decennium proximum a die infra scripto computandum in Sacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum nostrarum hæreditariarum finibus, sub poenâ sex marcarum auri puri, alio quodam typo vel formâ, aut sub quocunque vel additionis, restrictionis, correctionis, similive alio prætextu, sive in totò sive in parte recudere, vel alii recudendum committere, alibi impressum apportare, vendere vel distrahere, clam palamve, citra voluntatem, & absque dictorum hæredum Lanckischiorum expresso, & in scriptis obtento consensu, ac licentiâ præsumat; Si quis vero secus faciendo Privilegium & interdictum hoc nostrum Cæs.^{um} violare, aut transgredi ausus fuerit, eum non modo istiusmodi libris, perperam quippe reclusis adductisve (quos quidem præfati Lanckisii hæredes, ac eorum hæredes, ubicunque deprehensos, seu propria autoritate, seu Magistratus auxilio sibi vindicare poterunt) de facto privandum, sed & poenâ superius statutâ, omni spe veniæ sublatâ, fisco nostro vindice, mulctandum decernimus. Dummodo tamen indigitatum Concordantiarum opus hujus nostri Privilegii tenorem in fronte præferet, & quinque ad minimum

Exem.



Exemplaria Consilio nostro Imp.^{li} Aul.^{co} quam primum exhibeantur. Mandamus id circò universis nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Provinciarum nostrarum Subditis, cujuscunqve status, gradus, dignitatis, ordinis, conditionis aut præeminentiae existant, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel superiorum suorum nomine & loco Juris & Justitiæ administrationem exercent, ne quenquam privilegium hoc nostrum Cæs.^{um} temere ac impune transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, quos compererint, præscriptâ pœnâ plecti, aliisque modis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem multam pendere noluerint. Harum testimonio literarum manu nostrâ subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in civitate nostra Viennæ die decima quarta Januarii, A.^o millesimo sexcent.^{mo} nonages.^{mo} octavo, Regnorum nostrorum, Romani quadragesimo, Hungarici quadragesimo tertio, Bohemici verò quadragesimo secundo.

LEOPOLDUS m. p.

ut D. A. G. v. Kaunitz.



*Ad mandatum Sac. Cæs.
Majestatis propriam*

Franciscus Winandus de Bertram.

An den